

paterna intonuit intelligens summo consilio omniformes ideas, fonte vero uno evolantes proruperunt. Mox deinde:<sup>14</sup>

Mundo enim Rex multiformi

Praeposuit intellectualem Typum incorruptum, quo super mundum

5 Vestigium inducens, forma ornatus apparuit

Omnifariam ideis.

Et:

ἀκμὴ ἀρχηγόνου ιδέας

Summitas principigeniae ideae. Zoroastres<sup>v</sup> quoque:

νοούμεναι ἰυγγες πατρόθεν, νοέουσι καὶ αὐταὶ

10 βουλαῖς, ἀφθέγκτοις κινούμεναι ὥστε νοῆσαι.<sup>15</sup>

Intellectae Iynges a patre, intelligunt et ipsae

Consiliis ineffabilibus motae, ita ut intelligent.

Iynges autem Gemistus ideas interpretatur. Mendacii ergo Aristoteles manifesto vincitur, qui Platonem idearum exco-  
15 gitatorem primum asserit fuisse. Nec vero satis mirari possum virum, qui principatum in philosophia tam anxie affectaverit, in tam manifestos incidisse errores neque id ignorantiae eius rei commisisse existimo: nam ut detur eum [327] Assyriorum Aegyptiorumque dogmata ignorasse, certe Orphica, quorum mentio est  
20 ab eo libro De sapientia 7. habita, et Pythagoreorum libri eum non latuerunt nec ullo modo ab eo non lectos existimandum est.

Quarti quoque mendacii vincitur, quo ad ideae nomen, si illud <ιδέας> προσηγόρευσε ideas appellavit, pro nomine

<sup>14</sup> κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ // Προὔθηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, οὗ κατὰ κόσμον // Ἴχνος ἐπειγόμενος μορφῆς μετὰ κόσμος [κατάκοσμος] ἐφάνθη // Παντοίαις [Παντοίης] ιδέαις. [PROCL. in Prm. 800.24 – 27]

<sup>15</sup> αἱ ἰυγγες νοούμεναι [Νοούμεναι ἰυγγες] πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταὶ [corr. ex αὐδαί], // βουλαῖς ἀφθέγκτοις [ἀφθέγκτοις] κινούμεναι ὥστε νοῆσαι. [Usp. PSELL. Opuscula psycholog. theolog. daemonolog. 145.24 – 26]

<sup>v</sup> Corr. ex Zoroastes